THESES EBRAICÆ

QUIBUS

Veterum Philoſophorum Doctrina

SCHOLÆ ZETETICÆ

Ex qua primùm ducta eſt, reſtituitur:
propugnatæ in Collegio Romano

SUB AUSPICIIS

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Principis

LUDOVICI

TIT. SANCTÆ MARIÆ TRANSPONTINÆ
S. R. E. PRÆSBITERI

CARDINALIS BELLUGA

A B

ANGELO ANTONIO MASSA

Linguæ Sanctæ Auditore.

(Auctore Antonio Casini Soc. J.)

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. JESU
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, MDCCXXV.

Typis Komarek, in Via Cursûs prope Plateam Sciarræ.
Superiorum Facultate.

Digitized by Google

Eḿo, ac Rḿo Principi.

LVDOVICO BELLVGA

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO:

Angelus Antonius Maſſa Felicitatem.

LITIS genus, etsi non planè novum, anceps tamen, multiſque implicatum difficultatibus, ad Te deferimus Eminentiſs. ac Reverendiſs. Princeps. Matres duæ, quod olim apud Sapien-

tiſſimo

Digitized by Google

tiſſimum Regem factum legimus III. Reg. 3. de unico ſuperſtite filiolo inter ſe diſceptant, atque altercantur. *Hæc dicit, filius meus vivit, & filius tuus mortuus eſt. Et iſta reſpondit, non, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem vivit*. Etenim, cum eorum librorum fortaſſè indicio, quorum meminit Johannes Picus Mirandulanus in Apolog. & in lib. de Homin. dignit. non ita pridem repertum ſit ab Jano Toſcanini Syſtema quoddam Metaphyſicum, & rebus, & vocibus, totaque philoſophandi ratione, eorum non parum diſſimile, quę modò traduntur in Scholis; hæc duo præcipuè de eo eruditorum judicia extiterunt. Alii quidem, in quorum numero eſt Janus ipſe repertor, atque interpres, Scholæ Zeteticæ, a Moſe inſtitutæ, ac toto terrarum Orbe celebratiſſimæ, illud attribuunt; alii verò ex Schola natum exotica cenſent, ſive Pythagorica, ſive Platonica, ſeu alia quavis, quæ Naturæ lumen, & vocem ſequuta aut Verum ipſum tenuerit, aut ab eo non longè aberrarit. Immò verò, quidquid de Deo, ejuſque perfectionibus, atq; excellentiis ſapientiùs, Deoq;

ipſo

ipſo dignius loquuti ſunt Pythagoras, Socrates, Plato, aliique antiqui philoſophi; de eo eadem eſt eruditorum lis,& diſſenſio: natumq; ajunt aliqui apud eosdem philoſophos;alii verò Ebræis dormientibus,vel ſua non ſatis diligenter cuſtodientibus furtoſublatum contendunt. *Et conſurgens intempeſtæ noctis ſilentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocavit in ſinu ſuo*. Res profectò eſt ambigua, & ad judicandum difficilis: eoq; magis; quòd hæ Scholæ ambæ, ex quarum alterutra cùm Syſtema illud recèns inventum, tum tota hæc doctrina,de qua modò meminimus,orta creduntur; non extant jam amplius, niſi in pervetuſtis codicibus,vita omni,ſenſuq; carentibus, quo fit, ut hìc nobis argumenta ea omnia deſint, quæ plura, & certiora peti ex affectibus ſolent, quibus ſe maximè veritas prodit: *& pluſquam Salomon* in hoc judicio requiri videatur, ubi non poſſit amor matrem probare. Supereſt aliud indicii genus, illud quidem non ſatis tutum; ſed, ut in re maximè dubia, & obſcura, probatum Sapientibus; ſimilitudo matris cum prole. Verùm id etiam

in

in hac cauſa locum vix habet, ubi Matres ipſæ inter ſe ſimiles ſunt : quippe quæ lucem accipiunt, atq; explendeſcunt ambæ a prima ipſa Veritate, quam intuentur, Schola quidem Zetetica in Sacris codicibus, quibus Divina auctoritas ineſt; Schola autem exotica in ipſa naturali ratione, in qua *vultus Divini lumen ſignatum eſt*. Hæc cum ita ſe habeant; dubitantibus nobis, an cui poſſet rei hujus judicium tutò committi; Tu occurriſti, Princeps Em. ac Rev. qui, ut olim Salomon, a Deo accepiſti *cor ſapiens, & intelligens*, quo facilè poſſis bona quævis a malis, a falſis vera, diudicare, & diſtinguere. Quamvis enim Hiſpani plerunq; ingenio, judicioque plurimùm valeant; Qui ſanè, cum in eos Natura, & propria ipſorum Virtus multas congeſſerit corporis opes, pluribus tamen abundant animi bonis; præter illam tamen ingenii, judiciiq; præſtantiam, quæ Hiſpanorum communis eſt laus; ut in Te ſingularis quædam ſemper fuit, & planè admirabilis morum integritas, ac vitæ innocentia; Tibi præcipuè *dedit* Deus *ſedium ſuarum aſſiſtricem Sapientiam, ut Tecum ſit, ac Tecum la-*

boret

Digitized by Google

boret. Itaque, quidquid deliberas, quidquid aggrederis, quocunq; animum, actionemq; convertis; *antecedit Te iſta Sapientia, & deducit Te in operibus Tuis*. Hac duce, atq; adiutrice, Carthaginienſem Epiſcopatum tot annos, ea doctrinæ, prudentiæ, juſtitiæ, fortitudinis laude adminiſtraſti; ut Leander, Iſidorus, Idelfonſus, Braulius, Fulgentius, ac reliqui primi nominis Antiſtites, in Te redivivi, Hiſpaniæq; redditi viderentur. Hujus Sapientiæ præſidio, Eccleſiæ jura, & Pontificiam auctoritatem ſtrenuè tutatus es, adversùs Seculi poteſtates: Teq; ubi res tulit, non modò conſtantiſſimum Præſulem; ſed etiam invictiſſimum Ducem exhibuiſti. Hujus commendatione, toti Europæ, ipſiſq; inprimis Catholico Regi, & Romano Pontifici apprime charus, & admirationi ſummæ fuiſti: ſic, ut alter Proregem Te Valentino regno preficere; alter Sacra purpura ornare vel renuentem, repugnantemq; non dubitaverint. Immo verò, quemadmodum, ut Sacræ literæ tradunt Prov. 8. & Sap. 9. *Sapientia Deo ipſi aſſuit tunc, cum orbem terrarum faceret*; Tibi ad eam, prope dixerim, imagi-

gi-

ginem, cum Religioſas ædes, & pauperum hoſpitia a fundamentis excitares; cum ad ipſorum perpetuitatem iis annuos cenſus, ac certos redditus attribueres; cum Societatis Jesu, quæ Tibi cordi ſemper maximè fuit, Collegia ditares, ſtudia foveres, doctrinam defenderes, miniſteria omnia proveheres; prȩſto pariter aderat de Cœlo Sapientia. Quando collapſam Cleri diſciplinam reſtituebas; quando corrigebas depravatos populi mores, quando certis legibus, ac præſcriptionibus Chriſtianam ubiq; pacem, pietatemque firmabas, & ſtabiliebas; *Tecum erat cuncta componens*: &, quoniam ab ea penitus regi Te ſinis, ejuſq; hortatu, & admonitu, ut olim Carthaginienſem Epiſcopatum invitus ſuſcepiſti; ſic eodem Te modò abdicaſti; & Cordubenſem multo ampliorem, locupletioremq; recuſaſti; non dubitamus, quin Tecum futura ſit ſemper, ac publicum Eccleſiæ bonum, cui ſervis, & allaboras, præſertim verò doctrinæ ortodoxæ integritatem, ſinceritatemq; Tecum impensè ſit curatura. Tibi igitur Em. ac Rev. Princeps, in *Quo Dei Sapientiam eſſe videmus ad faciendum judicium*;

Sy-

Syſtema primò illud, de quo ſupra eſt facta mentio, ipſius Auctoris nomine, offerimus: qui, & opus hoc ſuum Tuo judicio omni ex parte ſubiicit; & in ea controverſia, quæ nunc diſceptatur, uti nos cauſæ ſuæ, ac totius Zeteticæ Scholæ patronos non refugit; ita Te potiſſimùm ſibi judicem, atq; arbitrum dari, votis omnibus expetit. Theſes deinde noſtras, ejusdem Syſtematis totidẽ veluti ſcholia, atq; notas adiicimus: in quib; theſibus, tametſi illius Syſtematis, non quidem doctrinam, ſed *gniſiòtita* defendimus; ipſumq; uti etiam ea omnia, quæ ex antiquis poetis, & philoſophis hìc adteximus; veros, ac genuinos Scholæ Zeteticæ fœtus eſſe affirmamus; atq; ea rei hujus indicia, argumenta, rationes in hac publica diſputatione allaturi ſumus; quibus fore confidimus, ut Scholæ eidem doctrinam illam adjudices, ſuumque ei partum reſtitui jubeas; cujusquemodi tamen hac ſuper re ſententia Tua fuerit, ei nos illico aſſentientes habebis; & Tibi, quæ ſumma eſt fama, atq; exiſtimatio ſapientiæ Tuæ, eruditi deinceps omnes ſubſcribent.

IMPRIMATUR.

Si videbìtur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici,

N. Baccari Epiſcopus Bojanen. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ord: Prædicatorum, Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

Digitized by Google

QUÆ linguarum principum, Ebraicæ, ac Græcæ utilitas ſit, noſtra hac etiam ætate, cum omnia prorſus earum gentium ſcripta ab optimis interpretibus Latinè reddita putabantur; non ita pridem docuit diligens ſcriptor, Janus Toſcanini, qui ex pervetuſtis Ebræorum, Græcorumque monumentis Zeteticæ doctrinæ Syſtema informavit, vulgavitque primus ejus Scholæ placita, quæ Moſem ipſum, Salomonem, Eſdram doctores habuit: auditores verò, præter eos omnes, qui apud Ebræos, ſapientes ſunt habiti; Pythagoram, Platonem, Ariſtotilem, ac primos quoſque aliarum fere omnium gentium magiſtros. Quoniam verò perſuaſum aliquibus eſt, nihil Ebræis, eorumque Scholę debere philoſophos ethnicos jiſdemq; non ſatis probatur, quòd hujus Syſtematis auctor eos ſæpiuſcule citet, ac doctrinam Zeteticam ab ipſis requirat; Nobis, ut homini de Ebraicis, Græciſque literis, quas profitemur, benè promerito abjiſdem literis gratia quodammodo aliqua ſit; nec ejus exemplo vis deſit, qua juvenum animos ad earum linguarum ſtudia capeſſenda permoveat; viſum eſt in hac publica Diſputatione Syſtematis hujus, non quidem doctrinam, quæ nobis alicubi profectò diſplicet, ſed γνωσθέντα defendere: eaſque Theſes proponere; quarum defenſione, planum fiat, ex libris Moſis, & Schola Inveſtigationis, ab ipſo inſtituta, tam multa

accepiſſe omnes ferme antiquos philoſophos; ut jure potuerit, qui hoc Syſtema conſtruxit, eos etiam adire, doctrinamque Zeteticam ab ipſis repetere.

I. Aſſerimus igitur primò, quòd eſt apud Jamblichum in lib. dè Myſt. Pythagoram, Platonem, Eudoxum &c. philoſophiam didiciſſe ex Mercurij columnis; rectè intellectum ab Auctore Syſtematis de Moſis doctrina lapidibus, ut mos Gentis erat, ab Ægyptijs inſcripta. Quamvis enim non planè aſſentiamur Voſſio, Bocharto, Huetio, alijſque, qui innumeras deorum, ac veterum heroum Moſi perſonas imponunt; probabile tamen putamus, ipſum ſub Mercurio latere: & ex rebus ab illo geſtis, atque editis, conficta eſſe illa omnia, quæ de Mercurio perhibent poetæ, alijque ſcriptores exotici. Rei autem hujus argumenta, & indicia non ea omnia probamus, ac defendimus, quæ ſequuti ſunt eruditiſſimi viri nuper commemorati: ſed hæc dumtaxat, quæ hic exhibemus. Mercurius apud Cicer. lib.3. de Nat. deor. Nilo patre natus: Moſes Exod.2.3. in carecto Nili infans expoſitus. Mercurij recèns nati venuſtatem Vulcanus Apollini prædicat in Lucian. dial. in Moſe infantulo formæ elegantia commendatur Exod. 2.2. Mercurius, ut eſt apud Pauſaniam in Arcad. lotus a Nymphis creditur in Tricrenis: immo naſcentem Horæ excepiſſe, & aluiſſe perhibentur: lac ſuum Juno ipſa præbuiſſe dicitur. Moſes Exod.2.5. a regijs puellis e Nilo extractus, & a Thermutide ipſa Pharaonis filia educatus. Oves, ac boves paviſſe fertur Mercurius ſibi dono datos ab Appolline, paſtorumque Deus eſt habitus, ut ex Homeri Ili. probat Pauſan. in Corinth. paſtoralem vitam Moſes egit, & Soceri ſui Jethro oves duxit Exod.3.1. ac ſubinde præfuit Iſraelitis, qui & erant paſtores, & paſtores ſe profeſſi ipſi ſunt apud Pharaonem Gen. 47. 3. Mercurius *deorum famulus* dicitur in veteribus epigram. & *Mercurius Miniſtrator* in Inſcriptionibus: Moſes *ſervus, & famulus Domini*, quaſi proprio, & peculiari cognomento dictus Exod.14.31. Num.12.7. Deut.34.5. Joſu.1.1. ad Ebræ.3.5. Preſtigiator fingitur Mercurius: Moſes verorum quidem prodigiorum effector, ſed quidquid θαυματουργικῶ virtute ſupra hominem edidit; id eum incantamentis feciſſe, ac dæmo-

num

num vi, ethnici crediderunt. Caduceum Mercurio tribuitur, virga nimirum ſerpentibus intexta, ac portentorum effectrix: Moſis itidem virga mirifica, quæ in terram dimiſſa colubri more reptavit, veneficorum Ægyptiorum virgas abſorbuit, & admirandorum operum inſtrumentum ipſi deinde fuit. Statuæ Mercurij pro domorum foribus locabantur ad arcendos fures,& alias peſtes propulſandas,qua de cauſa σῶκος appellatus eſt ab Homero Iliad. 5. Moſis juſſu domorum poſtes, ac ſuperliminaria mactati agni ſanguine aſperſa, eâque notâ præſenti exitio exempti Ebræorum filij natu majores. Furax habetur Mercurius, ac furibus præeſſe dicitur: id ipſum, ut videre eſt apud Juſtinum lib. 36. c. 2. de Moſe tradiderunt Scriptores ethnici, qui Ægyptiorum jura, prius etiam, quàm res ipſas, ad Ebreos tranſijſſe neſciebant. Mercurius itinerum præſes exiſtimatus, Deuſque *ſemitalis*, *vius*, & ἡγεμόνιος dictus apud Phornutum de Nat. deor. Moſes per annos quadraginta, deſertis, & avijs in locis Iſraelitis viæ ducem ſe præbuit, ut eſt in ſacris libris. Mercurij ſtatua, Pauſaniæ teſtimonio, in Phocic. Priap. erat in Troade, ad ſepulchrum Hierophiles ſybillæ in luco Sminthei Apollinis, & aquæ ad lævam emicantes e ſilice, & in ſubjectum labrum defluentes: ſtatuæ multæ ſimiles hujus Moſi poſitę, aquę monimentum e rupe quondam ab ipſo elicitę. His omnibus illa etiam accedunt, quòd deorum, hominumque nuntius, interpres, ſequeſter, & alia ejuſdemmodi, quæ paſſim audit Mercurius apud prophanos Scriptores; conveniunt eadem in Moſem, eique quamaptiſſimè quadrant: quippe qui a Deo ipſo toties ad homines eſt allegatus, rerumque tam grandium tranſactor, atque adminiſter fuit: quique propterea & ab Apoſt. μεσίτης dicitur Galat. 3.19. & ipſe de ſe teſtatum reliquit in Deuter. 5.5. *Ego ſequeſter, & medius ſui inter Dominum, & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus*. Immo verò, propter crebra colloquia, ſecretoſque congreſſus, quos cum Deo in Sinę montis faſtigio habuit Moſes, eaque, quæ deſcripta inde retulit; factum putamus, ut Saturno charum, atque intimum Mercurium, ejuſque conſiliarum, & ſcribam, dixerit Sanchoniathon apud Euſeb. Pręp. l. 1. c. 10. Pręterea, quod eſt

Digitized by Google

Exod. 34. 35. Moſem obuelata facie circumfuſam multitudinem alloqui ſolitum, ne contuentium oculos indito ſibi Divinitus fulgore perſtringeret; Æſchylus in Mercurio poeticè expreſſit, cum ait Choep.v.815. *eum noctem ante oculos, & tenebras ferre*. Atque hoc illud eſſe putamus, cur mediâ quidem parte albus, mediâ verò niger Mercurij petaſus fuerit: ejuſque effigies partim atrâ, partim aureâ facie ab Ægyptijs pingeretur. Cornua quoque, quę Moſi ex verbo קרן, quod habetur Exod.34.29.30,35.appingi ſolent; Mercurio fecerunt: eaque de cauſa a Lycophrone, & Harpocratione τρικέφαλος eſt appellatus: ac ſubinde ad ipſius, ſeu veriùs ad Moſis ſimilitudinem Zaleucus, Charondas, Zamolxis, Lycurgus, Draco, alijque legum conditores, quod apparet, atque extat in vetuſtiſſimis nummis, pingi voluere cornuti: ut ſibi quidem majeſtatem, præſcriptionibus verò ſuis auctoritatem conciliarent: quemque in legibus ferendis imitari ſtuduerant, eundem vultu quoque, ac ſpecie ipſa referrent. Tandem, alijs omnibus pręciſis, quę multa promi poſſent e ſacris, prophaniſque Scriptoribus, ſimulque conferri; quo Moſem in Mercurio clariùs agnoſcas, ac furta ethnicorum manifeſtò teneas; ille eſt Moſis caracter maximè illuſtris, ac certa quędam veluti nota, & inſigne, omnigena doctrina, & ſapientia: Pentateuchus ab ipſo conſcriptus, quęque Pentateucho pręcipuè ſtudebat, & allaborabat, Schola utraque המדרש, & חכנסת *Inveſtigationis*, & *Congregationis*, ſive *Conventûs* ab ipſo inſtituta. Porro eadem ferme a prophanis ſcriptoribus attributa Mercurio. Is literarum repertor, ſcholarumque auctor, ac primus hiſtoriæ, & Commentariorum ſcriptor habitus Platoni in Pędr. & Phileb. Ciceroni lib.3. de nat. Deor. Diodoro lib.1. Plutarcho ſympoſ.lib.9.q.3. Quid quę de Mercurio ſcripſerunt Philo Biblius, & Porphyrius apud Euſeb. Prępar. Evang.lib.1. eum, quę ad Dei cultum pertinent, in literas retuliſſe primum; ejus lucubrationes ſacras eſſe, & maximæ apud Ebręos auctoritatis; nonne Moſi planè congruunt, ac de ipſo dicta omnia videntur? Quid, cum apud eundem iidem, Sanchoniathonem Berytium Mercurii commentaria, atque ejus prędertim Coſmogoniam ab Jerombalo, Sacerdote Dei

Jevo

Digitized by Google

Jevo accepiſſe, multaque inde, Judęis certiſſima, memoria prodidiſſe, teſtantur; dubium ne eſt, quamvis de Mercurio loqui ſe dicant, quin Moſem ipſum ſignificent? Jerombalum certè hunc, ipſum Gedeonem fuiſſe cenſemus; auctore Suida in *Jerovàal* &, quę modo ſuperſtites ſunt Sanchoniathonis reliquię Moſis doctrinam, ut videre eſt apud Bochartum Chan. l. 2. c. 2. & Scaligerum Fragm. p. 48. paſſim ſpirant, ac repræſentant: planèque in locis, & nominibus exprimendis, vel ipſo Porphirio teſte, conſentiunt. Super hęc omnia Mercurium philoſophię auctorem faciunt Strabo l. 17. Manilius l. 1. Arnobius l. 2. adduntque, Syderum curſum ab eo obſervatos, certamque anni normam deſcriptam, ad quam certa, nec aberrante periodo ſtati quique dies revolverentur. Geometriam quoque, omnemque Mathematicam diſciplinam adijcit ipſi Plato in Phędr. Muſicam Plutarchus de Iſid. Rhytmicam, & Metricam Philo de vit. Moſ. l. 1. Denique rerum omnium inventionem Mercurio, apud ipſos nato tribuiſſe Ægyptios, auctor eſt Jamblichus in lib. de Myſt. Cyrillus adv. Julian. l. 1. Johan. Tzetzes chil. 4. His autem omnibus notis, & caracteribus in hoc fabuloſo omnium fere gentium magiſtro manifeſtè ſe prodit, atque explendeſcit Moſes, Scholę Zeteticę caput, librique ab eo relicti: inquibus, ſicuti deſcripta ſunt rerum; ita ſcientiarum ſunt poſita initia. Hi enim, ut difertè notant Bellarminus de Script. Eccl. & Huetius Dem. Ev. prop. 4. primordia comprehendunt, non ſolùm mundi, & naturę; ſed religionis etiam, & theologiæ: hiſtorię quoque humani generis, & animalium: geographię, politicę ſcientię, caſtrenſis diſciplinæ, ęqui, bonique, ac legum ferendarum doctrinę, ſtaticę artis, & architectonicę, fabrilis, fuſorię, ſutorię, baphicę, coriarię, phrygionicę, aliarumque complurium. Sanxit ibi ſacrificia, ac perpetuos ritus ſacrorum: annum ſacrum, & civilem feſtis diſtinxit quibuſdam: ſpatia temporum in certas diſcrevit periodos: ut meritò ſcriptum reliquerit Artapanus apud Euſeb. l. 9. c. 27. Moſi armorum, navigiorum, anthliarum, tollenonum, ſacrarum literarum, & civilis diſciplinę inventionem Ægyptios, nationeſque omnes debere. Quare locum hunc ita concludimus: in eo, qui

primus, ac vetuſtiſſimus cuique genti habetur, humanarum, divinarumque rerum doctor, Thoyth, vel Theuth Ægyptiis, Taautus Phœnicibus, Tao Indis, Teutl Mexicanis, Tat Hiſpanis, Tautates Gallis, Teves Anglis, Tijs Danis, Teuth item, ſeu Wodan Germanis, Imbramus Thracibus, Hermes Grecis, Mercurius Romanis, alijs alio nomine nuncupatus; in eo, inquam, Moſem ipſum latere: qui tametſi non ubique fuit; ex illo tamen profectum quidquid ubique eſt ſcientię, & doctrinæ: ex ejuſque libris, & Schola ab ipſo inſtituta, ut notat Auctor Syſtematis p. 1. n. 5. tanquam ex fonte biberunt, aſportaruntque, pręſtantiſſimi quique orbis terrę magiſtri. Qua de re hactenus generatim, atque universè: deinceps vero particulatim, gradatimque dicendum.

II. Primum id ſacris Ebræorum codicibus, ac Scholæ Zeteticæ antiquos philoſophos debere contendimus, quòd ingenitam in hominum animis Dei notionem affirmarint, eundemque in rebus creatis, tanquam in ſpeculo cerni. Ita Triſmegiſtus Pœmandr. par. 2. ſer. 1. itidemque in Aſclepio: quæ opera, tametſi nobis adulterina, & ſuppoſititia habentur; quòd tamen aliter exiſtimaſſe videntur veteres aliqui Patres, & nominatim Auguſtinus; iſque Triſmegiſtum Moſe poſteriorem facit l. 18. de Civ. c. 39. idcirco nequaquam nobis prætereunda eſſe duximus. Ita præterea Homerus Iliad. 13. qui Deum *valde notum* appellat: Plato 10. de Legib. Cicero l. 1. de Nat. deor. aliique: quorum dicta ex eo expreſſa videntur, quod eſt Job. XXXVI. 25. Deum *omnes homines vident*. Et Pſalm. IV. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen &c.*

III. Id eos ſecundò Ebræis, eorumque Scholæ debere aſſerimus; quòd nihil de natura ipſa Dei a nobis verè cognoſci poſſe cenſuerint, ſine ipſo Deo. In quam ſententiam Triſmegiſt. ad Tat. *Deum, inquit, percipere non poteris, niſi ejus aliquis radius intelligentiæ tuæ benignè refulſerit*: Pythagoras; *Nemo de Deo, ſine lumine loqui audeat*. Eamque ob cauſam, Deus a Platone comparatus eſt ſoli in ſexto de Repub. Quæ ducta ſunt ex Pſalm. XXXV. 10. *In lumine tuo videbimus lumen*.

IV. Ebraicum pariter eſt, & ex ipſamet ductum Zetetarum Hypotheſi, quòd Deum ſolum verè, & propriè eſſe dicant:

Digitized by Google

cant : eumque,ipſum Eſſe, definiant. Sic Trimegiſt. in Aſclep. *Solus Deus eſt : & meritò ſolus ipſe in ſe , & a ſe , & circum ſe totus , plenus , atque perfectus &c. Extra Deum nihil , extra nihil Deus : in eo omnia , in omnibus ipſe eſt .* Eadem ferme Parmenides apud Simplicium : eadem Meliſſus apud Laertium : eadem Heraclitus apud Plutarchum : eadem Plato , & Plutarchus ipſemet , aliique citati ab Auctore Syſtematis p.1. n.4. Quæ omnia , ut ipſa etiam Zetetarum Hypotheſis tribus Dei nominibus nituntur יהוה , יה , אהיה , *ipſum Eſſe* ſignificantibus .

V. Iiſdem ex fontibus hauſtum , quòd Deum , Veritatem ipſam appellant . *Cum enim ſolus Deus ſit verè , & propriè , nequaquam in terris , o Tati , veritas eſt* , ait Triſmegiſt. p.2. Pœmand. ſer.3. ad Tatium : & apud Stobeum ſer.10. tom.1. Itemque Plato 5. de Leg. apud Plutarch. in lib. cui titul. amicus ab adulatore dignoſci quî poſſit . Eadem docuit Menander in Nan. Simmias apud Laert. Jamblichus apud Stob. & ut Stobeus , & Laertius iidem referunt ; Magi ipſi , quippe qui deorum maximum , quem Horomaſdem , ſeu Oromaſim vocant , *corpore quidem aſſerunt eſſe luci ſimilem , anima verò Veritati* . Mirum autem præ omnibus eſt, quod habet Plato 5. de Legib. *Neminem fore beatum , niſi ab initio ſtatim Veritatis particeps fiat* . In quo aliquo modo illud agnoſcas Chriſti Domini apud Johan.XIV. 6. *Ego ſum via, & Veritas &c. nemo venit ad Patrem , niſi per me* : cui conſona multa in Teſt. vet.

VI. Iiſdem auctoribus , & magiſtris , ſcripſerunt antiqui philoſophi , in Deo , modo quodam exempto , eſſe omnia : ſic , ut Unitas , ac Centrum dici poſſit rerum omnium : Totumque extra Totum : quæ Dei notiones ſunt Zeteticæ , & ab Auctore Syſtematis aſſeruntur p.1. n.3. illuſtranturque in toto deinceps Opere illo . In hanc ſententiam Triſmegiſtus in Aſclep. *Omnia Deus , & a Deo omnia . . . Omnia ab eo , & in ipſo , & per ipſum* . Ser.4. Pœmand. Deum *Monadem* appellat. tum ſer.5. *Nihil eſt* , inquit , *in omni natura , quod ille ipſe non ſit . Eſt ille ſiquidem quæ ſunt , eſt ea etiam , quæ minimè ſunt &c.* Et aliquanto poſt Deo hymnum concinens ait : *Ipſe profectò es quidquid ego ſim , ipſe es quidquid agam , ipſe es quid-*

Digitized by Google

quid denique dicam. Ipſe enim es omnia, neque aliud, præter te quidquam. Quod ſanè non eſt, es Ipſe: Ipſe omne quodcunque genitum. Ipſe omne, quod nunquam genitum &c. Quæ Catholicè explicat Auctor Syſtematis cùm in tota Hypotheſi, tum etiam Prop. VII. & VIII. In eandem ſententiam loquuti Xenophanes apud Plutarch. ſive Galen. lib. de hiſt. philoſ. & apud Theodoret. qui idipſum confirmat dicto Parmenidis. Quibus accedit Plotinus: is enim l.2. Enn.5. *Ipſum Unum, inquit, eſt omnia, rurſumque nullum eſt ex omnibus.* Hæc autem omnia ex eo nata videntur, quod eſt Exod.XXX. 19. ubi Moſi Deum videre cupienti reſpondet Deus ipſe; *Ego oſtendam omne bonum tibi.* Cujus non diſſimile eſt, quod eſt Johan. 1. 4. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.*

VII. Tametſi Deum exiſtere, atque unicum eſſe naturalis ipſa ratio ſatis oſtendat; ex Ebræorum tamen diſciplinâ profectum credimus, ut Deum unicum, ſingularemque, tanto conſenſu, agnoverint, & confeſſi ſint haudquaquam obſcurè omnes ferme antiquitatis Sapientes. Quod primùm defendimus de Poetis: de Orpheo, ex eo, quod habet apud Juſtinum M. in Cohort. ad Gentes.

Intuere ſolum mundi Regem:
Unus eſt per ſe genitus, & ab eo Uno cuncta prognata ſunt.

Et apud Euſebium 3. Præpar. cap.3.

Principium, atque ortus rerum vis una, Deuſque
Unus, & Omnipotens &c.

De Homero, qui ſecundo Iliad. vanæ deorum multitudini illudens Uliſſem ita loquentem inducit:

Haud profectò ſinguli præeſſe poſſumus, o Achivi:
Non eſt bonus plurium principatus:
Unus ſit princeps, unus ſit rex.

De Heſiodo, qui ad Fratrem, hæc ſcripſit:

Sunt homines, diique una ab radice creati:

Itemque apud Clem. Alex.

Ipſe etenim rex cunctorum, dominuſque gubernat
Numina: non Deus huic alter contendere poſſit.

Præterea de Sophocle, ex iis, quæ apud Juſtinum in lib. de Monarch. Tandem de Pyndaro, qui Od.6. ſtroph.1. ita cecinit.

Unum

Digitized by Google

Vnum Patrē, creatorē ſummū, atque optimū artificē habemus,
Qui progreſſus ſingulis diverſos ſecundùm merita præbet.

Qui Poetæ, ſicubi innumerabilium penè deorum turbam videntur adſtruere; ibi ſeu totidem Divinitatis ipſius efficientias adumbrari, ut eſt apud Orpheum,

Omnia ſunt unum, ſint plurima nomina quamvis;

ſive Angelos, Dei adminiſtros, ſive etiam aliquando Dæmones, ut ſæpe apud Homerum, & Heſiodum, ſignificari defendimus.

VIII. Mirum quoque hac in re, Ebræis iiſdem præceptoribus, extitiſſe affirmamus veterum philoſophorum conſenſum: Triſmegiſti primùm, qui 2. p. Pœmand. l. 1. *Hæc autem omnia*, inquit, *in unum congredi, abſque congregantis virtute impoſſibile eſt. Oportet igitur, aliquem eſſe talem, & penitus unum. Nam, cum multi, variique ſint motus, & diſſimilia corpora, unus autem ordo velocitatis in omnibus; Impoſſibile eſt, duos, aut plures eſſe factores, neque enim ordo unus ſervaretur in multis. Præterea, qui inter illos imbecillior eſſet, potentiori nimium invideret: ex quo ſeditio quædam exoriretur.* Et Paulo poſt. *Eſſe itaque horum omnium unum auctorem, præ cæteris eſt conſpicuum... Vnus igitur ſingula facit in multis &c.* Thaletis deinde, & Anaxagoræ, qui Mentem unam, rerum omnium opificem ambo agnovere: & ille quidem ex aquis, is verò ex ſimilibus particulis ab ea res omnes effectas docuit. Præterea Pythagoræ, qui cùm maximè Monadem prædicat apud Euſebium, & Cyrillum, qua, tanquam Symbolo, Schola Zetetica utitur; tum verò apud Juſtinum il lib. de Monar. ita cecinit:

Si quis dicet; Deus ſum præter unum, is debet
Mundum huic parem condere, & dicere: Hic meus eſt:
Nec ſolùm condere, & dicere, hic meus eſt, ſed habitare
Ipſe in eo, quem fecerit, Hic autem ab eo factus eſt.

Philolai etiam, ejus diſcipuli, cujus illa extant apud Philonem: *Princeps, & dux omnium Deus Vnus, ſemper exiſtens, ſingularis &c.* Euclidis, qui pariter auctore Laertio, *Numen Vnum, naturamque bonitatis Vnam* agnovit: eamque multis nominibus *modò Deum, modò Sapientiam, interdum Men-*

Digitized by Google

tem nuncupavit. Empedoclis, de quo hæc in l. de Mundo:

ab ipſo Uno
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox-ventura trahantur,
Et Plantæ viruere, Mares, & Fœmina quæque
Atque Feræ, Volucreſque &c.

Et apud Simplicium 1. phyſic.

oriuntur ab Uno
Ignis, Aqua, & Terra, immenſi viſque Aeris ingens.

Præterea Xenophanis, apud eundem Simplicium, Parmenidis, Meliſſi, maximè verò Socratis, qui Genios, ac Dœmones, quorum facinora poetæ decantant, a republ. exigendos docebat, ſupplicioque affectus dicitur, quòd Deos deſtrueret: quo nomine maximè laudatur ab Juſtino in Apolog.

IX. Platonem quoque de Deo, ejuſque individua, ſingularique natura rectè ſenſiſſe defendimus: de eaque cùm aliis in locis, tum præcipuè in Timæo ita loquutum; ut dubium eſſe non poſſit, quin alicubi viderit, quod eſt Exod.III. 14. אהיה אשר אחיה: qui locus Zetetici Syſtematis veluti fundamentum ab erudito Interprete poſitum eſt. Quòd ſi Plato aliquando ea de re ſuboſcurè, atque ambiguè diſſerit, divinitatemque aliis etiam a Deo videtur tribuere; Cœlo ſcilicet in Epinomide, Syderibus in Legibus; Terræ, Marique in ipſo Timæo; Veneri in Philebo; Zamolſi in Charmide; Triſmegiſto in Phædro; aliiſque pluribus alibi; eum ibi poeticè, atque allegoricè loquutum cenſemus: Socratis enim ſupplicio abſterritus, quæ de Deo ſentiebat, in vulgus apertè proloqui ſibi minus tutum exiſtimabat.

X. Hic verò eorum ſententiam planè rejicimus, qui in antiquos hoſce philoſophos referunt impium dogma Manetis, qui duo ſtatuebat rerum Principia, Bonum, & Malum: Lucem, & Tenebras: Deum, & Materiam. Quòd enim Pythagoras, quem primum in crimen vocant, duos rerum ordines poneret, Unitatem, & Binarium; id intelligendum dicimus, non de duobus Principiis, Bono, & Malo; ſed de iis duobus veluti ſtatibus, quos, ut habet Syſtema Zeteticum p.1. n.3. creata quæquæ res obtinet, Unitatis, ac Simplicitatis in Deo; Diſtinctionis, ac Multiplicitatis in ſe ipſa. Vel cer-

Digitized by Google

certè de habitu, & privatione, ut velle videtur Ariſtoteles, & ejus Comment. Averro. 3. Phyſic. tex. com. 13. nec non Simplic. ibidem. Quòd verò Empedocles, qui alter impii dogmatis auctor habetur, duo conſtituerit rerum principia, Odium, & Amorem; ſeu Litem, & Amicitiam; id ab eo factum interpretamur, non ut Deum bonum, & malum induceret; ſed, ut rerum naturalia principia, ſeu elementa inter ſe contraria demonſtraret; ſeu, quod verius putamus, Simplicio interprete 1. Phyſic. ut Mundum intelligibilem ab eo ſepararet, qui ſub ſenſus cadit: in ſtatu enim Veritatis, quem Schola Zetetica Mundum intelligibilem vocat, ut eſt in ejus Syſtemate p.2. Prop. VII. & VIII. quique idem eſt Centrum, atque Unitas rerum omnium; diſtinctio, aut diviſio non eſt: ſecus verò in ſtatu adumbrationis; qui mundus hic eſt, extra mentem Artificis: idemque, Zetetarum ſententiâ, radii inſtar, & numeri habet: quæ progreſſiones ſunt dividuæ principii individui. Quod tandem Plato viſus ſit animas mundi duas comminiſci beneficam, & maleficam; ejus rei interpretationem quàm commodiſſimam habes ex Ammonio Alexandr. Phylopono, & Marſilio Ficin. Cæterùm quàm longè abhorreat a Manichæorum dogmate Platonis doctrina, documento tibi ſint libri de Repub. inquibus bona refert in Deum; mala verò, quæ quidem culpam habent, in pravam hominum voluntatem; quæ autem pœna ſunt, in Dei juſtitiam, ſcelerum vindicem, Univerſi hujus, atque eorum ipſorum, qui puniuntur, bono conſulentem. In quam ſententiam explicanda eſſe contendimus, quæ de Vejiove, læviſque Numinibus dixerunt Gellius, & Virgilius, aliique Latini, ut non duo ſtatuantur dii, quorum alter bonis præmia rependat, alter malis pœnas infligat: cum utrumque ab uno, eodemque Deo poſſit commodè proficiſci.

XI. Ariſtotelem quoque cum Ebręis in eo conſenſiſſe defendimus, ut, etſi multis quamdam Divinitatis ſimilitudinem; uni tamen, a quo omnia ſint, & adminiſtrentur, veram Divinitatem tribueret: ſic enim habet 8. Phyſ. & 12. Metaph. *Nolunt entia malè diſponi: nec bonum plures principes. Unus ergo princeps.* Tum ſæpe illud uſurpat: *Deus, & natura nihil*

agunt

agunt fruſtra : quod certè non diceret, ſi plures Deos eſſe cenſeret . Quòd ſi dubia Ciceronis , Origenis , Theodoreti , Themiſtij ; certa verò , & luculenta Stobęi , Demetrij , Apulei , Juſtini m. Joh. Philoponi , & recentiorum non paucorum ſuffragia ſequutus Ariſtoteli adjudicas Librum , ſeu Epiſtolam de Mundo ad Alexandrum ; non eſt , quòd ſuper hac re de ipſius mente dubitare poſſis : nam cùm multa de hoc habet ibi clara , & perſpicua , tum illud eſt apertiſſimum , quo librum concludit . *Vnus* inquit , *Deus cum ſit , pluribus nominibus appellatus eſt : ab iis utique ſuis omnibus effectibus denominatus , quorum ſpecimen edere ipſe ſolet* . Tum per complura deorum nomina excurrit , iiſque omnibus unius , ejuſdemque Dei effectus varios , atque multiplices ſignificari oſtendit . Sed & in Moralibus unum Deum confeſſus eſt Ariſtoteles , rerum humanarum gubernatorem: quæque ibi ſcribit de nectare deorum , iiſdem probari contendimus unius ſummi Dei divinitatem , qui felicitatis ſibi , aliiſque omnibus cauſa ſit . Nec minus ex iis , quæ ſcribit de beatitudine , quam in contemplatione poſitam docet . Item in Politicis , ubi Deum , velut humani generis regem conſtituit , cui omnia obtemperare oporteat : Tum ubi Deum legem eſſe affirmat , & imperium legis eſſe imperium Dei . Itemque , ubi diviniſſimum reipub. genus docet eſſe Monarchiam . Tandem in libris de repub. in quibus , cum de his ageret , quæ ſint in repub. neceſſaria , primumque alimentum numeraſſet , tum artes , tertio arma , quarto copiam aliquam pecuniarum ; hæc ſtatim ſubjecit , *quintum , & primum cultus Dei , quem religionem appellant* .

XII. Dei unitatem alii etiam ethnicorum philoſophi , poſt Platonem , & Ariſtotelem agnovere . Theophraſtus in libris de Metaph. *Id quod eſt*, inquit , *primum, & diviniſſimum , omnia optima vult eſſe : fortaſſeque id eſt exuperans omnem ſcientiam , & inſcrutabile* . Et rurſus in eodem libro : *Divinum* , inquit, *Principium, per quod omnia ſunt, & permanent* . Quæ planè Moſaica ſunt , atque e ſacris libris expreſſa . Alexander Aphrodis. 1. quæſt. natur. c. 1. Ariſtotelem præceptorem ſequutus, ex motu *primam unam* venatur *Subſtantiam , æternam , ſimplicem , & immobilem , actumque exiſtentem corporis circulo verſatilis , moventem*

temque tanquam amatum, & deſideratum, cum maximè ſit intelligibilis, & maximè appetibilis. Epitectus in Enchyr. *Deus*, inquit, *eſt utilis: ſed & bonum eſt utile. Veri igitur ſimile, ubi ſit ſubſtantia Dei; illic & eſſe ſubſtantiam bonitatis. Quæ igitur ſubſtantia Dei? Caro? abſit. Fama? abſit. Mens, Scientia, Recta ratio. Hic igitur ſimpliciter quære ſubſtantiam boni.* Et infra: *hoc primum diſcere oportet, quòd Deus ſit, & proſpiciat univerſis: & non eſt, qui latere poſſit eum non modo operans; ſed ne cogitans quidem, & mente revolvens.* Simplicius ſuper Epitect. Enchir. ethnicus & ipſe philoſophus. *Omnium rerum fons*, inquit, *& principium eſt ipſum Bonum. Nam quod omnia concupiſcunt, id eſt omnium principium, & finis. A ſe ipſo quoque Bonum cuncta producit, prima, & extrema &c. una bonitas multas bonitates, una ſimplicitas, & unitas, quæ ſuper omnes, multas unitates, & unum Principium multa principia. Idem eſt Unitas, & Principium, & Bonitas, & Deus*: Item: *a prima, Divina Veritate veritas omnis: neceſſariòque omnia principia ad unum Principium, quod quidem non ſit aliquod particulare principium, quemadmodum reliqua omnia: ſed principium cuncta principia ſupergrediens, ſeſeque ſuperattollens, & omnia principia ad ſe colligens, omnibuſque principiis a ſe ipſo præbens principalem dignitatem, ut cujuſque naturæ congruit. Hinc igitur abſurdum eſt duo, vel plura omnino, quàm Unum prima principia dicere &c.* Idem ex ſimilibus ipſorum teſtificationibus affirmamus de Jamblicho, Porphyrio, & Proclo. Idem quoque de Romanis philoſophis ex Tullio, Seneca, Plutarcho, & Plinio. Tum prorſus vanam, & fabuloſam deorum multitudinem habitam ſapientioribus, ab ijſque meritò irriſam, defendimus, teſtimonio quidem Varronis, ac Senecæ; exemplis autem Hilponis Megarenſis, Byonis Boryſthenis, Chryſippi, Pythagoræ, Xenophanis, Heracliti, Meliſſi, Theodori Cyreniaci, Evemeri Thegeatæ, Euripidis, Socratis, Ariſtotelis, & aliorum.

XIII. Jam verò de Dei perfectionibus, atque excellentijs multa apud Ethnicos eſſe contendimus deſumpta ex Ebręorum codicibus, alijſque Scholæ Zeteticę monumentis. Quod ſpectat ad Æternitatem, ejuſmodi eſſe aſſerimus, quod eſt in Aſclepio: *Deus æternus: Deus ſempiternus; nec naſci poteſt, nec*

Digitized by Google

nec potuit, hic eſt, hic fuit ſemper, hic erit. Item Epigramma illud, quod ex Ægyptiorum hiſtoria refert Proclus l.1. Com. in Timę.

Quæ ſunt, quæ erunt, & quæ fuerunt,
Ego ſum.

Tum celebre Thaletis reſponſum apud Plutarch. in conviv. qui, *quid eſſet antiquiſſimum* interroganti, *Deum eſſe dixit: ortu enim carere*. Et apud Ammonium in lib. de Interpret. Parmenides; *nihil eſſe penes deum* affirmans, *neque præteritum, neque futurum: quòd utrumque ſit non ens; quoniam alterum non eſt amplius; alterum nondum eſt: ac prius mutatum eſt; poſterius naturâ mutabile eſt. Ejuſmodi autem ei, qui verè eſt, & mutationem ne cogitatione quidem tenus admittit, impoſſibile eſt affingere*. Quorum ſimillima ſunt, quę Plato in Timæo: *errore quodam duci homines in loquendo, qui partes illas temporis, erat, & erit in æternam ſubſtantiam imprudentes transferunt. Dicimus enim de illa, erat, eſt, & erit. Sed illi revera ſolum Eſt competit: at erat, & erit ad generationem, quæ in tempore procedit referri convenit. Motus enim ſunt*. Eadem ferme ex Ebraico אהיה ſimiliter expreſſa apud Plotinum Enn.3.l.7.c.4. & Enn.6.l.5.c.11.

XIV. Quod attinet ad Immenſitatem; Ebraicum illud, *Quo ibo a ſpiritu tuo &c. ſi aſcendero in Cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, adeſ*; Pſalm. 138. 7. 8. ita redditum a Triſmegiſto 2. par. Pemand. c. 1. *a te ipſo incipiens meditare, atque animæ tuæ præcipito, quæ citius, quàm præcipias evolabit. Jubeto, inquam, ut transeat in Oceanum, illa, priuſquam juſſeris, ibi aderit, inde, ubi nunc eſt, nequaquam diſcendens. Jubeto iterum, ut in centrum volet &c. Quin etiam, ſi volueris globos omnes tranſire &c. Hoc igitur pacto contemplare Deum, ut in ſe ipſo intelligentias omnes habentem, habentemque ſe ipſum, ceu mundum penitus Univerſum*. Extant hac de re apud Cyrillum l.1. cont. Jul. Orphei, ſive, ut apud Clementem Alex. aliqui ſuſpicantur, Onomacriti verſus; in quibus Immenſitas Dei ijſdem fere, quibus in Scriptura prædicatur, ſententiis eſt expreſſa.

Ipſe in Cœlo aheneo ſtabilis ſedet
Aureo in ſolio; terræ autem pedibus inſiſtit.

Et ma-

Et manum dexteram ad fines Oceani
Undique extendit. Circum tremunt alti montes,
Et flumina, & profunditas cani, ac cærulei maris.

Thales quoque apud Ariſtot.l.1. de Anim.c.5.text.85. *dijs plena eſſe omnia* docuit. Pythagoras apud Clementem Al. *Unum eſſe Deum*, ait, *eumque non extra hanc univerſitatem poſitum; ſed totum in ipſa, & in toto circulo.* Idem apud Minucium Felic. & Salvianum in lib.de gubern. Dei ait, *eum peromnes mundi partes, univerſamque naturam diffuſum*. Aratus *Jovis omnia plena* eſſe dicit: itemque Virgilius Ecl. III. 60. & Georg. IV.222.

Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum.

Plotinus autem Enn.6. l.5. c.3. *Id omni humanæ inſitum eſſe naturæ* dicit, ut, *ſimul eſſe Deum exiſtimat, etiam ubique eſſe totum arbitretur.* Et En.6.l.8.c.16. *Deum eſſe & Ubique, & Nuſquam*: quod planè Zeteticum eſt. tum c. 18. *Nihil extra illum quæri oportere: ſed intra ipſum omnia eſſe, quæ ſunt poſt ipſum. Quod enim extra eſt, ipſe Deus exiſtit, comprehenſio omnium, & menſura.* Seneca etiam l.4. de Benef. c.8. *Quocunque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab eo vacat, opus ſuum ipſe implet.* Quod eſt ex Pſalmo centeſimo triceſimo octavo cit.alia verò ex Jobo XI.8. ex Deuter.IV.39. ex 3.Reg.VIII.27. ex Sapient.I.7. ex Iſa. LXVI.1 ex Jerem. XXIII.14. &c.

XV. Quod verò ſpectat ad Dei Scientiam, & Voluntatem, quæ Prop.7. & 8. profert ex Schola Zetetica Syſtematis Ebraici Interpres, ea fere omnia e ſacris libris excerpta in rem ſuam tranſtulerunt antiqui Philoſophi. Sic quod ibi Scriptor ille differit de ea Veritate, atque Eſſe exempto, quod res creatæ omnes habent in Deo, tanquam in Centro, atque Unitate; ij adumbrarunt, qui duplicem Mundum poſuere, primum intelligibilem in ipſa ſummi Artificis mente; alterum ſubiectum ſenſibus, extraque Artificis mentem. Hi præcipuè fuerunt, ſententiâ noſtrâ, Triſmegiſtus Serm. 1. Pœmand. & in Aſclep. Orpheus, aut quiſquis eſt eorum carminum auctor, quæ refert Chiſamus l. 7. de peren. philoſoph. c.10. Plato in Parmenide, in Timæo, & ubicunque loquitur

Digitized by Google

de Ideis, quas ab ipſo non primùm excogitatas, ſed e Schola Pythagorę, ſeu veriùs è Schola Moſis, ejuſque libris expreſſas, & intra Opificis mentem collocatas, contra ejus calumniatores defendimus. Auctor preterea quatuordecim librorum de Myſtica Ægyptiorum philoſophia, quos Franc.Patricius, in Proleg. ad ſuam edit. & Athanaſ. Kircherus in Pręf. paręn.ad Obeliſc.Pamphil.Immo, ut videtur, etiam D.Thomas in lib.de Unit.intellect.cont.Averro. Ariſtoteli tribuunt. Tandem Platonici omnes.

XVI. Conſentanea quoque ſunt, ſi rectè intelligantur, Scholę Zeteticę placitis in citato ſępe Syſtemate expoſitis, quę de Divina providentia, atquè ęterna rerum diſpoſitione, & ordine, allegoricè ſcripit Plato decimo de Repub.in ſuis illis annulis invicem complicatis: & ante eum Homerus in aurea illa catena, quam Cœlo ſuſpenſam finxit Iliad.8. & 15. qua ſtatûs Veritatis cum ſtatu adumbrationis conſenſum ſignificari Macrobius, & Lucianus teſtantur. Illud verò hac in re Ebręorum doctrinę maximè conſonum, quod ea catena, iiſque annulis nequaquam conſtringi liberam hominum facultatem putant, aut uni contrariorum affigi: ſed in eòrum poſitum electione, & arbitrio, quo ſe vertant; ipſiſque tribui debere ajunt, quę quiſque peccat, non in Deum referri. Inquam Sententiam eſt, quod ſcripſit Homerus Odyſ.1.

Ipſorum enim propriis ſtultitiis perierunt
Fatui.

Tum quod circumfertur ex Zoroaſtro

Pater non incutit metum, ſed perſuaſionem inducit:

Et ex Hierocle.

Ut malus quiſque ſit, malitiæ ſuæ cauſa ipſe exiſtit.

Tum ex Chriſippo.

Quam falsò accuſant ſuperos, ſtultique queruntur
Mortales: etenim noſtrorum cauſa malorum
Nos ſumus: & ſua quemque magis vecordia lædit.

Plato verò diſertiſſimè in Epinomide: *ſi quid mali in his accidit, non divina culpanda natura eſt: ſed humana, quæ injuſtè vitam ſuam diſtribuit.* De ipſa verò hominis libera facultate ſubtiliùs, atque diſtinctiùs Ariſtoteles: ejus enim actionem,

mo-

Digitized by Google

motum, functionemque duplicem ſtatuit lib. 3. Moral.c. 4. *Voluntatem* ſcilicet, & *Electionem*: eam circa finem, ſeu, ut ipſe loquitur, *magis circa finem*; hanc verò circa ea, quæ referuntur ad finem, verſari docet. Primam eximit ab omni violentia, & coactu; ſecundam verò etiam a neceſſitate. Ita ejus Interpres Ammonius: ita Aphroſidienſis ipſi addictiſſimus in eo libro, quem ſcripſit ad Severum, & Antoninum Imperat. de *fato*, & *libert.* Conſentit Euryphamus Pythagoricus in lib.de Vita in calce Diog.Laertii ab Henr. Steph. editi pag.814. Plotinus Platonicus, qui Enn.6. l.8. c.1. *Spontaneum* id eſſe dicit, *quod fit non violenter, & cum notitia: in noſtro verò arbitrio ſitum, cujus agendi domini ſumus.* Ac deinceps neceſſitatem libertati planè adverſari confirmat: aitque cap.7. eos, qui neceſſitatem cum libertate cohærere putant, *revera liberi arbitrii naturam, ac notionem ejus, quod in nobis ſitum dicitur, evertere, ac voces uſurpare rerum inanium, minimèque conſiſtentium*. Denique Simplicius, qui in Comment. ad Enchir.Epitecti de beatis Mentibus loquens,negat illis eſſe revera *electionem*, ideſt, *arbitrii libertatem* circa ſummum bonum, quo fruuntur: quoniam *voluntatem uno modo, & ſine contrarii poteſtate, in illad bonum defixam habent*. Et, quibuſdam interpoſitis, contra fatum diſputans, probat, non poſſe, illo poſito, conſtare libertatem, tametſi vim nullam afferre dicatur: quòd ſcilicet contrariorum nobis eripit poteſtatem, ſic, ut omnino neceſſe ſit nobis *una, & definita ratione in hoc, vel hoc expetendum intendere*. Quæ doctrina iis maximè congruit, quæ ſcripſit Moſes Deut. XXX. 15. 19. *Conſidera, quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & e contrario mortem, & malum: ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & cuſtodias mandata illius &c. Teſtes invoco hodie Cœlum, & terram, quòd propoſuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum.* Et quod Jeſus filius Sirach ſcripſit Ecclici. XV. 14. &c. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata, ac præcepta ſua: ſi volueris mandata conſervare, conſervabunt te &c. Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris*

ris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.

XVII. Aliquid etiam de æterna Divini Verbi generatione a ſapientioribus Ebræis accepiſſe philoſophos Ethnicos judicamus: Triſmegiſtum primò ex iis, quæ de Mente, & Prole Divina diſſerit in Pœmandro: ubi Uerbum ex Patre naſci docet: ipſumque & *lumen de lumine*, & *Mundi Opificem vocat*. Orpheum (ſi tamen Orpheus auctor eſt eorum carminum, quæ hoc nomine inſcripta circumferuntur, atque extant, apud antiquos Patres) qui Verbum Divinum, *Vocem Patris* nuncupat, ab eoque Mundum effectum eſſe dicit. Heraclitum, qui apud Amelium, *atque hoc certè*, inquit, *erat Verbum, per quod ſemper exiſtens, ea, quæ ſunt, facta fuerunt*. Huc pertinere dicimus, quæ de Mente, Progenie, Sapientiaque Divina tradidit Plato in Phædone, in Cratylo, in Philebo, aliiſque in locis, ubi eam *Imperatricem*, *Reginam*, *creatricemque* rerum appellat, eique rerum omnium imperium, atque effectionem attribuit. Huc quæ *de eadem ipſa Mente, ejuſque Genitore, Mentiſque ipſius cum Patre conjunctione* docet Platonicorum Coryphæus Plotinus: qui etiam explicat, ut *Mens ſit poſt ſummum Bonum*; *ut per eam ad ſummum Bonum perveniatur*; *ut ſit Idea omnis pulchritudinis*; ut *creaverit Mundum*; ut *Mundi effectio ſit Mentis, Genitore quidem jubente, Ipsâ vero operante*: de quibus omnibus conſule Marſilium Ficinum interpretem. Horum ſimillima ſunt, quæ de Patre, & Filio docet Numenius in lib. de Dono: *Patrem ſcilicet, qui eſt ſummum Bonum, eſſe primum*; *Filium verò, ideſt, Mentem, eſſe ſecundum*: *Filium agere omnia, Patrem jubere*. Eadem Proclus de *Summo Bono*, *Genitore*; & *Mente*, *Progenie divina*. Expreſſius, atque, ut ipſe teſtatur, de Platonis ſententiâ, Porphyrius. Sic enim 4. de hiſt. Phil. *Ab hoc autem ſummo Bono, ratione quadam hominibus incognita, genitam Mentem tradit Plato, quæ prorſus per ſe ipſam exiſtat: inqua videlicet ſint veræ res, & omnis rerum ſubſtantia: quod & primò Pulchrum, & per ſe Pulchrum ſit: habeatque ſpeciem pulchritudinis. Proceſſit autem ante ſecula, vel æternitatem, ab auctore Deo promanans, per ſe genita exiſtens, & per ſe*

ſe Pater. Neque enim illo movente ſe ad generationem hujus, proceſſus fuit: ſed iſto progrediente per ſe generabiliter, vel ex ſua generatione a Deo: & progrediente non a principio aliquo temporali: nec dum enim tempus erat: ſed neque, creato tempore, præ illa eſt aliquid tempus: ſemper enim eſt carens tempore, & ſola æterna Mens. Sicut autem Deus ille primus, unus, & ſingularis ſemper eſt, licèt ab ipſo facta fuerint omnia, eo quod cum his connumerari, & in eodem loco, quem habet ſubſtantia ſua: ea poni non poſſunt; ſic & Mens ſempiterna ſola, & ſine tempore; & creatis his, quæ ſunt in tempore, ipſum tempus eſt, permanens in unitate ſuæ ſubſtantiæ. Hæc Platonem ſenſiſſe, teſtatur Porphyrius.

XVIII. Similia de Spiritu Sancto, ſeu de Amore ipſo Divino ex Ebræorum Schola Ethnici didicerunt: quæ tamen multis deinde fabulis ita infuſcarunt, inquinaruntque; ut agnoſci vix poſſent. Triſmegiſtus Pœmand. c.1. n.9. *Mens autem Deus... Vita, & lux, cum Verbo ſuo, mentem alteram opificem peperit, qui quidem ignis, atque Spiritus numen.* Idem Serm.3. ad Aſclep. *Hujus Spiritus, de quo ſæpenumero dixi, omnia indigent: omnia portat, ſecundùm dignitatem, omnia vivificat, & nutrit, & a ſancto fonte dependet, omnibus ſpiritibus, & viventibus ſemper eſt auxiliator.* Orpheus in carm. quibus titulus eſt, Hymnus Amoris apud Stobæum Ser. 63.

Advoco magnum, ſanctum, amabilem, ſuavem Amorem,
Arcipotentem, alatum, igneo curſu velocem,
Impetu agilem, colludentem diis, & mortalibus hominibus.

Idem Orpheus in Argonaut. cum de rerum principiis coram Chyrone, heroibuſque cantaret, Cahos ante Mundum poſuit, & ante omnes Deos Amorem in ipſius Cahos ſinu locavit, laudavitque his verbis.

Antiquiſſimum, ſe ipſo perfectum, conſultiſſimumque Amorem.

Eadem metaphora uſus Ariſtophanes in carmin. cum Amoris ortum deſcripſit, non qualem deſcribit Socrates apud Platonem in Sympoſio orat.5. ex Poro, & Pœnia in hortis Jovis, neque qualem Pauſanias retulit orat. 2. de duplici Venere; ſed ut ejus verbis aliquid longè majus, atque altius ſubeſſe videatur: atque id ipſum, quod eruditè ediſſerit Mutius Pan-

ſa

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſa lib. 1. c.83. apud quem ea legi poſſunt: ſed & illa etiam, quæ de Amore noſtris conſona ſcripſerunt Heſiodus, Pherecides, Empedocles, Parmenides, Plato: qui Plato, ut ait Chalcidius in Timæ. vocat Animam mundi Spiritum Sanctum; quo vegetatur, ac regitur mundus, Spiritus enim eſt Latinè, quod Grecè eſt anima, ideſt, *ἄνεμος*.

XIX. Ipſum Trinitatis Myſterium, Ebræis iiſdem doctoribus, edidicit, ac metaphoricè expreſſit Triſmegiſtus, cui tribuitur celeberrimum illud: *Monas gignit Monadem, ſuumque in ſe reflectit Amorem*: eumque putat Suidas Termaximum appellatum, quòd divini Spiritus inſtinctu de Trinitate loquutus ſit, *dicens in Trinitate unam eſſe Divinitatem*: locum hunc autem ex ipſo refert: *Erat lumen intellectuale, ante lumen intellectuale. Erat ſemper Mens Mentis luminoſa. Et nihil aliud erat, quàm horum Unitas, & Spiritus omnia continens. Extra hunc non* Deus, *non Angelus, non ſubſtantia ulla alia. Omnium enim* Dominus, *& Pater, & Deus, & omnia ſub ipſo, & in ipſo ſunt. Nam Verbum ejus perfectum exiſtens, & fœcundum, & opifex, lapſum in fœcunda natura, & aqua fœcunda, prolificam fecit aquam*. Hæc affert ex Triſmegiſto Suidas. Ægyptii verò a Triſmegiſto, ſeu veriùs ab Ebræis edocti, primo rerum Principio, ut refert Damaſcius Platonicus, ter acclamitabant: quod & Seraphim faciunt Iſa. VI. 3. *dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus* &c. Atque, in veteri Theologia Egyptiorum, Chaldeorum, Græcorum, quod doctè probat Eugubinus lib. 1. de perenni philoſoph. conſtat, Patrem appellatum, ſummum Bonum: Filium, Mentem, & Opificem: Spiritum, Animam Mundi. Ad hujuſce Myſterii notitiam ab Ebræis acceptam referimus, quæ de tribus Numinibus, aut Hypoſtaſibus, circa quas ſint omnia, ſcripſit Plato in Epiſt. ad Dionyſium, obſcurè, ac per ænigmata, ut ipſe fatetur, *ut, ſi quid epiſtola ponto, vel terra perpeſſa fuerit, qui legerit, non intelligat*. Probamus autem interpretationem Porphyrii, qui ejus epiſtolæ ſenſum his verbis ediſſerit: *Uſque ad tres ſubſiſtentias, ſive Hypoſtaſes, ſeu Perſonas progredi Divinam ſubſtantiam: ideſt, habere tres deſcenſus, vel in triplicem numerum ſe propagare. Eſſe enim ſupremum, altiſſimumque Deum, ipſum per*

ſe

ſe Bonum : poſt eum, & ſecundum Opificem : deinceps Animam mundi : uſque enim ad Animam (hoc eſt Spiritum) *procedere Deitatem*. Eandem doctrinam, ut poterant, complexos dicimus: Numenium primò, qui apud Proclum celebrat, & laudat tres Deos: primumque vocat Patrem, ſecundum Opificem, tertium Animam mundi, de tribus autem iis diis hæc ait: *Deus primus quidem in ſe ipſe exiſtens eſt ſimplex, quod ipſe ſibi ubique conjunctus eſt, nec uſquam dividuus. At & ſecundus Deus, & tertius eſt unus*. Secundò Amelium, de quo Proclus idem ait: *Amelius triplicem facit Opificem, & Mentes tres, & Reges tres, eum, qui eſt, eum qui habet, eum qui aſpicit. Differunt autem hi, quoniam prima mens verè eſt: Secunda eſt quidem intellectuale, quod eſt in ipſo, habet autem ante ſe, & participat omnino ipſum, & propter hoc eſt ſecunda: Tertia verò eſt quidem, & ipſa quod in eo intellectuale ... habet autem quod eſt in Secundo, & videt Primum &c.* Tertiò Theodorum, qui apud eundem Proclum, tres dicit eſſe Opifices: aliumque vocat mentem ſubſtantialem, alium ſubſtantiam mentalem, tertium Fontem animarum. Quartò Plotinum, qui mira planè, & Fidei noſtræ, maximè conſentanea docuit de tribus Subſiſtentiis, ſive Principiis a Platone poſitis: de quibus librum integrum ſcripſit, in quo ſummum Bonum, ipſamque excellentiſſimam Unitatem facit primam Hypoſtaſim: ſecundam ipſam Mentem: tertiam Animam mundi, quam *vivificatricem, amatricemque omnis vitæ* nuncupat. Quinto Proclum, qui in eo libro, in quo agit de Theologia Platonis, præter alia multa, quibus Trinitatis myſterium adumbrat, de Platonis, immo & ſuperiorum philoſophorum Pythagoræ, Aglaophemi, & Orphei ſententiâ, tria ſtatuit Principia, Bonum, Mentem, & Animam: quorum Secundum ait a Primo gigni; Tertium verò eſſe habitum, ſeu proceſſum amborum.

XX. Aſſerimus præterea ex eadem Ebræorum traditione, & doctrina antiquos philoſophos primi nominis in eo conſenſiſſe, ut mundum a Deo, non ex æterno, ſed in tempore conditum faterentur. Triſmegiſtum in Mundi, atque hominis ipſius creatione deſcribenda cum Moſe apprimè congruere. Orpheum quoque eadem ſequutum, primamque ejus

Theo-

Theologiæ partem poſitam in laudibus Conditoris ſapientiſſimi, fœcundiſſimi, potentiſſimi. Moſem itidem ſequutos Homerum, & Heſiodum, quorum primus terram, & aquam primò condita dixit, ſeptimum diem ſacrum eſſe docuit, quod eo die cuncta perfecta, completaque fuerint. Secundus verò primum poſuit Chaoſ: porro Ariſtoteles in libello de Xenophane, Zenone, & Gorgia, chaos illud Heſiodi, ex quo a Deo facta ſunt omnia, *nihil*, eſſe pronuntiat. Nobis Heſiodi ejuſdem Erebus,ipſum videtur *ngberev* Moſis:quem in eo etiam ſequutum dicimus, ut Diem Nocte ſatum, proindeque recentiorem fingeret: ſiquidem Moſes veſpertinum tempus matutino antepoſuit, ut diem itidem ſeptimum ſacrum haberet: ut Hominem luto formatum, & primorum Hominum vitam noſtra hac fuiſſe diuturniorem ſcriberet. Tandem, ut alia plura omittamus e Moſaicis libris deprompta; Ate Homeri, Pandora Heſiodi ex Eva humani generis parente efficta eſt. Thaletem quoque, quę pertinent ad Mundi exordium, ex iiſdem Moſaicis libris accepiſſe dicimus. Hinc nempe Deum definiebat, quod principio, & fine caret, quod rerum omnium antiquiſſimum eſt: atque hanc ajebat eſſe Mentem, quæ cuncta ex aquis formavit: lucemque tenebris poſteriorem eſſe ſtatuebat: nam & Moſes poſt tenebras lucem creatam ſcripſit. Eadem ferme aſſerimus de Anaxagora, qui teſte Laertio, Euſebio, Theodoreto, hoc ſcriptioni ſuę initium fecit: *Omnia ſimul permixta erant: Mens ea in ordinem digeſſit*. Eadem, Jamblicho teſte, de Pythagora, Archyta, & tota Pythagoreorum familia. Plato verò de Mundi opificio ita diſſerit in Timęo, ut Moſem penè ipſum diſſerentem putes: nam & Deum ſupremum rerum Opificem agnoſcit, & Mundum ab eo creatum ad exemplar, ſive Ideam in ejus mente expreſſam: aſtra ad determinanda temporis ſpatia in Cœlo poſita; hominem Dei ſimulacrum eſſe docet. Paradiſum voluptatis a Moſe deſcriptum Jovis horto adumbravit, ut notatum eſt ab Euſeb. Pręp. l. 12. Serpentis hiſtoriam expreſſit allegoricè: primorum hominum vitam ita deſcripſit, ut Adami, & Evæ vitam poſſis agnoſcere. Hic igitur eos refellimus, qui Creationem perpetuò manantem

Digitized by Google

tem Platoni tribuunt. Sed & Ariſtotelem hac in re ad Catholicum ſenſũ perduci poſſe putamus: ea certè diverſis in locis loquutũ contendimus, quę probent, ipſum ſive prudentẽ, ſive imprudentẽ, mundi creationẽ eſſe confeſſum. Plotinũ preterea fateri, tempus creatũ: de temporis itẽ exordio apertè, & perſpicuè ſcripſiſſe Porphyriũ; Homines a Deo creatos, & in mundũ, operum Divinorũ ſpectatores, introductos, dicere Arrianũ, & Epitectum; Nata eſſe omnia, multis rationibus pugnare Jamblichum, alioſque eorum temporum philoſophos, affirmamus.

XXI. De Angelis, eaque natura, quę inter Deum, atque homines intercedit, loquuti ſunt priſci philoſophi, Plato pręcipuè, & Ariſtoteles: uterque eos habet, minores quoſdam veluti Deos: eorũ ſedes in Cœlo conſtituit: rebus hominũ cuſtodes præficit: Cœleſti ambroſia, ac nectare paſcit: beatos efficit. Triplicẽ quoque ipſorũ ordinẽ conſtituerunt Platonici, pręcipuè Proclus: qui, tametſi hac in re aliquando labitur, & a vero, & Catholico ſenſu aliena quædã loquitur; multa tamen habet eorũ ſimilia, quę in lib. de Cœleſt. Hierarch. traduntur a Dionyſio, ejuſque veſtigiis, magis etiam, quã Platonis ipſius, videtur inſiſtere. Quod & Damaſcium Platonicũ feciſſe credimus, cujus illa ſunt de minoribus Diis: *ſimiliter item dicat quiſpiam, & multas, quæ videntur eſſe, vitas, irradiationes eſſe vitales, ab una vita ſubſiſtentes, promanantes in omnia viventia. Multaſque item miſſiones ſecundùm radiationem ab una ſubſtantia, procedentes in omnia, quæ ſunt. Quid multis? quando & Deos multos hi omnes fere, qui ante Jamblichum floruerunt Philoſophi ſic ſtatuunt; unum quidem ſuper ſubſtantialem Deum dicentes, alios ſubſtantiales eſſe, radiationibus ab Uno deificatos &c.*

XXII. Dæmones mali ſunt, Triſmegiſti ſententiã, malorumque ſuaſores, atque auctores: decipiunt, illudunt, a Deo puniendis hominibus, tanquam carnifices adhibentur. Empedocles apud Plutarchum dęmones, ut nequam, & improbos, ſcelerum dare pœnas, totoque mundo exagitari, undique repelli, nuſquam admitti, ſcriptum reliquit. De ipſorum caſu ſcripſit Pherecydes. Dęmonum principis cujuſdam ſceleſtiſſimi, & malorum omnium architecti meminit Zoroaſtres. Eos gentem aëriam, maleficos, feras agreſtes, ſtygios

canes, impiorum carnifices, vocarunt, prętet Poetas, etiam Pythagoras, Plato, Ariſtoteles: eoſque dixerunt, pręſidere incantationibus, malis affectibus delectari, domiciliiſque impiorum: immo & transferre ſeſe quandoque in Angelos lucis.

XXIII. Immortalem Hominis animam confeſſi ſunt poetę antiquiſſimi Orpheus, Homerus, Epicharmus, Pindarus, Euripides, Aratus, imprimis vero Phocylides, cujus illa feruntur:

... Vivunt animi ſemper, ſine morte, ſenectaque.
Defunctis ſupereſt vita, & dii deinde creantur.
Incorrupta manet anima nam luce carentum &c.

Ex Philoſophis apertè, & perſpicuè Triſmegiſtus, Thales, Phęrecides, Pythagoras, Plato, eorumque familię. Ariſtotelem idem ſenſiſſe, ajunt Theophraſtus ejus tot annis auditor, ſucceſſor in docendo, & librorum hęres apud Laert. lib. 5. in vit. Theo. Ficinum in com. ad opuſc. Theo. de Phantaſ. & Intel. Patritium tom. 1. diſc. Perip. l. 10. & 12. Hermias Ariſtotelis itidem auditor apud Suid. Plutarchus lib. 5. de placit. Phil. c. 25. Themiſtius 3. de an. cap. 28. 31. 34. 35. 36. &c. Ammonius Sect. 4. & 5. Perihermen. Philoponus 1. de an. com. t. 66. 2. de an. c. t. 21. 3. de an. c. t. 20. Simplicius 1. de an. com. t. 65. & 66. 2. de an. t. 21. 3. de an. t. 7. 120. 391. Porphyrius de abſtin. ab eſu carn. l. 3. Boethius 3. de an. c. t. 20. Plethon apud Cœlium Rhodigin. l. 3. ant. lect. c. 2. Algazeles lib. 1. tr. 5. c. 11. lib. 2. tr. 4. c. 5. Avicennas 6. nat. tr. 5. c. 4. Averroes 3. de an. com. t. 5. digreſs. part. 2. item t. 36. & 12. met. com. t. 17. Albertus Magn. 2. par. ſum. de hom. de nat. & orig. an. tr. 2. c. 5. 6. &c. 2. de an. com. t. 21. 3. de an. tr. 2. c. 4. 12. 20. D. Thomas 3. de an. com. t. 20. 2. cont. Gent. c. 79. &c. Qu. diſ. qu. de ſpir. q. 2. a. 14. 1. p. Sum. q. 75. a. 6. 8. phyſ. t. 45. Scotus Quol. que. 21. Mittimus Alenſem, Ægidium, Durandum, Eugubinum, alioſque recentiores innumeros, homines intelligentiſſimos, atque doctiſſimos, qui id ipſum de Ariſtotele confirmant: & meritò ſanè: contendimus enim cùm in aliis Philoſophi hujus operibus; tum verò pręcipuè in libris de Anima loca eſſe complura, quę id apertiſſimè evincant.

XXIV. Quę de futuro Mundi excidio leguntur in ſacris Literis; ea, teſte Athenagora, Stoici pręcipuè docuerunt. Idem de Græ-

Græcis, aliarumque gentiũ ſapientibus, nominatim autẽ de Heraclito, & Empedocle teſtatur Euſebius. Extat Ovid. 1. Met.& Lucan. 1. Pharſ. locus illuſtris in hanc ſententiam. Idemque cecinit Lucretius l. 5. poeta melior, quàm philoſophus.

Una dies dabit exitio, multoſque per annos
Suſtentata ruet moles, & machina mundi.
Nec me animi fallit, quàm res nova, miraque menti
Accidit exitium Cœli, terræque futurum.

XXV. Super æternis bonorũ præmiis, malorumque ſuppliciis idem conſenſus cùm Poetarũ, Orphei, Homeri, Pindari, Sophoclis, maxime verò Phocilidis, qui communem hominum anaſtaſim, utique ex Ebræis, cognoviſſe viſus eſt: ſicenim cecinit.

... brevi e terra ſperamus ſcandere ad auras:
Defunctis ſupereſt vita, & dii deinde creantur.

Tum etiam Philoſophorum, Triſmegiſti, Pythagoræ, Platonis, qui ultimus, homines iterum ad vitam eſſe revocandos non obſcurè innuit lib. 10. de Repub. ac deinde lib. 12. *reddituros quoſque de factis propriis rationem* diſertè affirmat, *bonos quidem cum fiducia, malos autem cum trepidatione ſumma*. Præterea in eodem lib. 10. de Repub. proborum hominum animas Deo ipſo frui debere: itidemque in Phædone: in quo dialogo Cœleſtem Patriam ad eam fere imaginem deſcribit, quam nobis exhibuit in Apocalypſi Jo. quorũ ſimilia in Pſalmis, aliiſque antiqui Fœderis libris, ex quibus veriſimile eſt deſcriptionem ſuam concinnaſſe Platonem. Animas autem eaſdem, antequam in eum locum perveniant, ab omni prorſus peccati macula expiandas, ac perpurgandas eſſe docet in Phædro, & in Timæo. Contra vero nefariorum hominum animas *mergi in Tartarum, atque inde nunquam egredi, ſempiterniſque urgeri ſuppliciis*. Eadem doctrina apud Jamblichum in lib. de Myſt. *Nihil*, inquit, *fert ſecum anima tendens ad alteram vitam, quàm probitatem, vel improbitatem, quæ plurimùm prodeſſe, aut obeſſe defuncto noſcuntur. Atque anima quidem proba cum* Deo *habitat, per Cœli regiones beatas invecta. Quæ verò ſeſe factis impiis contaminavit, impietate, impuritateque ſordeſcens, proficiſcitur ad judicia ſubterranea, meritis pœnis deputanda. Ob quam cauſam conandum eſt in hac vita, dum licet, & datur,*

vir-

Digitized by Google

virtutem, ſapientiamque indipiſci. Pulchrum enim eſt præmium, & ſpes ingens. Audendumque ei, qui in hac vita moratur, ut omnes voluptates, corporeaque ornamenta, tanquam aliena a ſe abiiciat, non alieno, ſed ſuo cultu animum veſtiens, ſapientia, juſtitia, reliquiſque virtutibus: ſicque expectet profectionem ad alteram vitam, velut abiturus, cum neceſſitas tulerit. Quod cum ita ſit, non magnis pecuniarum acervandarum curis æſtuandum, non gloriæ, non ambitionis, ſed prudentiæ, veritatis, & animi, ut ſit quàm optimus, ſtudium capeſſendum. Neque enim fas eſt, quæ vili æſtimari debuiſſent, plurimi facere: neque rurſus, quæ magno in pretio decuiſſet haberi, nihili pendere. Non corporum igitur, & opum, ſed animi &c. Eadem pariter de malorum pœnis, ac felicitate bonorum, poſt exactum vitæ curriculum, reperies apud Plutarchum, Tullium, Senecam &c. Verùm hæc hactenus: nunc, quæ Eminent. Principis munificentia eſt, Auditoribus noſtris ipſum Zeteticæ Scholæ Syſtema exhibemus: quod ex pervetuſtis quibuſdam Mediceæ Bibliothecæ codicibus ab Jano Toſcanini Florentino, Theologo, & linguarum Ebraicæ, ac Græcæ perito non ita pridem expreſſum, & informatum; hic Romæ ab ejus amicis noviſſimè editum eſt. In quo Syſtemate, ſicubi Scriptor hic eadem, quæ nos in his theſibus, indicia ſequutus aliquid ab Ethnicis Scriptoribus accipit; nihil, ut jam oſtendimus, Ebræis alienum attribuit, ſed, quod ipſorum proprium eſt, dumtaxat reſtituit: nec Pythagoræ, Platonis, ac reliquorum philoſophorum placitis Zeteticam doctrinam infuſcat, aut ullo modo depravat; ſed contra potius doctrinâ Zeteticâ veterum philoſophorum placita illuſtrat, revocataque ad ipſum illud exemplar, ex quo primum expreſſa fuerunt, corrigit, atque caſtigat. Sed age ipſum audiamus.

MAG 2002553

Digitized by Google